cendam ignem in portis eius id est hierusalem. illum de quo dicitur; Omnes
adulterantes quasi clibanus corda eorum; Qui devorat domos sive vicos
hierusalem quos LXX. ΑΜΦΟΔΑ. aquila et symmachus. ΒΑΡΕΙC (baris) id est
turritas domos interpretati sunt appellaturque; hebraice. ARMANOTH. et
numquam hoc extinguetur incendium. dicente apostolo; Uniuscuiusque
opus quale sit ignis probabit; et iterum. si cuius opus arserit. detrimentum
patietur. Ipse autem salvus erit. sic tamen quasi per ignem; Si autem
nostri iudaizantes explanationem tropicam repudiarint. aut iudei esse
cogentur et cum observatione sabbati circumcidere preputia. aut certe
reprehendere salvatorem qui iussit in sabbato paralytico ut portaret
lectulum suum evangelista dicente; Propterea magis querebant eum
iudaei interficere. non solum quia solvebat sabbatum. sed et patrem suum
dicebat deum. aequalem se faciens deo; EXPLICIT LIB TERTIUS ·
INCIPIT LIBER QUARTUS ·

Semper diabolus bono operi immineet. ubique gradientibus ponit
laqueos. narrante propheta de satellitum eius insidiis. iuxta semi
tam scandalum posuerunt mihi. et evangelio hoc ipsum plenius in
struente. quod volatilia caeli iuxta viam iacta semina diripiant atque
disperdant; Cur hoc principio frater eusebi usus sim. sequens sermo
monstrabit. multis et de toto huc orbe confluentium turbis. et sanctorum
fratrum monasterii quaestu ris occupatus. commentarios in hieremiam per
intervalla dictabam. ut quod deerat otiosus pessimae industriae; cum subito
heresis pythagorae et zenonis. ΑΠΑΘΕΙΑC (apatheias) . ΙΙ ΑΝΑΜΑΡΤΗCΙΑC (anamartesias) . Id est in
passibilitatis et inpeccantiae. quae olim in origene et dudum in discipulis

© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0178